DE GUILELMI MALMESBURIENSIS CODICE LEGIS ROMANAE WISIGOTHORUM DISSERTATIO,

QUAM ILL. ICTOR. ORD. AUCTORITATE
AD
PROFESS. JUR. ORD. IN ACAD. VRATISL.
RITE SUSCIPIENDAM
DIE I. JUNII MDCCCXXXI.
H. L. Q. C. PUBLICE DEFENDET

CAROLUS WITTE,

JURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, ILLIUSQUE PROFESSOR, ORDINIS ICTORUM VRATISLAVIENSIUM ADSESSOR, SUPREMI IN SILESIA JUDICII CONSORS, ATHENAEI VENETI ET ACADEMIARUM PETRARCHICAE, QUAE ARRETII, FLORIMONTANAE, QUAE VIBONE VALENTIA, ET SEPULTORUM, QUAE VOLATERRIS FLORET, SOCIETATUM WETTERAVIENSIS AD PERSCRUTANDAM NATURAM INITAE, LATINAE ET MINERALOGICAE APUD JENENSES SOCIUS.

ADSUMPTO AD RESPONDENDUM SOCIO
I. NITSCHE, SILESIO, STUD. JUR.

OPPONENTIBUS
R. BRETSCHNEIDER, VRATISLAV., STUD. JUR.
E. G. R. ZINGEL, SAGANENSI, STUD. JURIS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS PHILIPPIANIS.

Sichardus postquam legem Romanam Wisigothorum typis vulgaverat, triplex ICtis patebat via, qua decurtatas illas et in compendium redactas veteris jurisprudentiae reliquias redderent integriores. Exstabant enim cum fontium, ex quibus hauserat Anianus, genuina fragmenta, tum auctorum, qui unum alterumve ex illis exscripserant locum, opera, tum etiam ipsius quod vocant breviarii exempla, quae praeter solennem excerptorum seriem nonnullas e fontibus desumptas adderent particulas.

Theodosiano Codici supplendo et emendando quantum fructus attulerint codices Tilii (jam Vaticanus 886 [1]) et Charpini (deinde Petri Pithoei [2])) et Palimpsesta

1) Zeitschr. f. gesch. R. Wissensch. T. III. p. 409—412. Alia Theodosiani Codicis fragmenta haberi in Vaticano Reginae Christinae codice No. 520, tradit M. s. hujus bibliothecae catalogus.

2) Hugo in ind. editt. fontt. in calce editionis receptar. Julii Pauli sententiarum Berol. 1795. p. 147, cel.

tam Taurinensia[3]) quam Vaticana (No. 5766)[4]), nemo est qui ignoret. Minus notum, et in codice, qui inter regios Parisienses numero 4406 signatur, 35 integri Theodosiani operis haberi folia[5]), e quibus qui dixerit, Cujacium in Lugdunensi editione, quae deerant Tilianae hausisse, admodum mihi probaretur[6]). Eadem fere ratione *novellas* imperatorum Justiniano anteriorum[7]), quarum nonnisi 33 ediderat Sichardus[8]), hodie ita videmus auctas, ut 99 nu-

---

Stieber in praefat ad secundum volumen opusculorum b. Hauboldi p. CXLIV. in Na.

3) De Schröter in ephemeridibus, quarum titulus Hermes T. XXV. p. 314 sq. 318, ubi in transitu noto, ne de graecarum constitutionum collectione vana somniemus, marginalem membranarum Taurinensinm notam »graec. lib. V.« in Greg. (sc. Cod.) lib. V. mutandam esse; cf. Auct. Leges restitut. p. 234. lin. 9.

4) De Schröter l. c. p. 335. 36.

5) Haubold, Opuscula II. p. 906. No. 3. Stieber l. c. p. XC. in nota.

6) Inter genuino Theodosiano Codici debita supplementa non recenseo titulum Ad SC Claudianum, quem a P. Pithoeo sibi oblatum, primus edidit Cujacius. Cum Zirardino (Theod. et Valent. Novellae Favent. 1766. p. 18. in nota) enim et Wenckio (Cod. Theod. lib. V. pr. p. 237) hunc titulum integro Breviario non arbitror fuisse alienum.

7) Haubold, Inst. j. rom. lit. 598.

8) Nov. 1, 8, 10, 17, 19—21. 23, 28, 30, 31, 38, 57, 60,

merentur. Privata enim auctoritate congestas harum novellarum collectiones tres vel quatuor, non ab Aniano in compendium redactas, sed integras, et tribus illis Justinianearum recensionibus, quae circumferuntur, haud dissimiles, servavit aetas. Primus inde Cujacius novem Theodosii, Valentinianique novellas[9]), ex Petaviano, jam Vaticano codice reginae Christinae No. 1023[10]) uti videtur desumptas, Sichardianis addidit in Lugdunensi juris Antejustinianei editione. Majoriani etiam novellas sex[11]), quales e codice, cui similes Parisiensis 4406[12]) et codex Kelleri[13]), suppeditaverat Loisellus, in eadem evulgavit editione. Dedit et alteram Severi novellam[14]), quam,

62—64, 66, 68, 70, 74—76, 78, 81—85, 92, 94, 95 editionis Berolinensis.

9) Nov. 7, 18, 33, 34, 50, 59, 69, 71, 79.

10) Stieber, l. c. p. XCI. in nota No. 5. et p. CXV. Huic similis, teste Haenelio, regius Paris. No. 4412 (Stieber p. CVII.), quem tamen Cujacio, quum Lugdunensem procuraret συναγωγήν, nondum innotuisse, ideo inducor ut credam, quia exhibet, quae in illa desiderantur, novellas Anthemii.

11) Nov. 86—91.

12) Haubold, Opusc. II. p. 909. d.

13) Stieber, p. XCI. in nota No. 7. p. CXXVII.

14) Nov. 96.

quum in omnibus qui mihi quidem innotuerunt codicibus desideraretur, unde hauserit nescio. Multo plenioris et absolutioris collectionis 43 novellas ineditas[15]), e codice, quem hodie 4420 inter Parisienses numeramus[16]), anno 1571 edidit P. Pithoeus. Accesserunt e laceris involucro libri cujusdam adglutinatis schedis Theodosii Valentinianique constitutiones tres[17]), anno 1577 a Cujacio in Observationibus editae[18]). Omnium tandem ultimi Zirardinus et Amadutius ex Ottobaniano blibliothecae Vaticanae codice No. 327[19]) quinque novellas[20]), ille quidem anno 1766 hic insequenti anno ambo repraesentarunt ineditas. Exstat et alia caeterisque plenior novellarum a Theodosio et qui in imperio eum sequuti sunt imperatoribus emissarum collectio, cujus notitiam in alteram hujus dissertationis rejicimus partem.

---

15. Nov. 2—6, 9, 11—15, 24, 26, 27, 29, 32, 39—49, 51—54, 56, 58, 61, 65, 67, 72, 73, 77, 93, 97—99.
16) Stieber, l. c. p. XCI. No. 3.
17) Nov. 35, 55, 80.
18) XVI. 22. 23.
19) Stieber l. c. p. XC. nota, et p. CXV.
20) Nov. 16, 22, 25, 36, 37 et particulam novellae 80.

Taceo *Gajum* Veronensem, qui Alaricianam illam epitomen obliteravit magis quam supplevit. —

In auctoribus, qui unum alterumve veteris prudentiae laudando locum, editores legem romanam Wisigothorum supplentes adjuverunt, enumerandis parum moror. Quae enim Cujacius ad *Theodosianum codicem* ex corpore Finium regundorum [21]), quae Aleander et Oiselius ad *Gajum Aniani* ex Digestis, Boethio et Collatione legum attulerint, qua ratione *Paulum* ex Collatione legum, Consultatione et Digestis supplerint Cujacius (in editione receptarum sententiarum anni 1548, et in συναγωγαῖς annorum 1566 et 1586), editor Genevensis (anni 1586), Rittershusius atque Schultingius, quotque locis *Gregorianum Hermogenianum*que *codices* ex Collatione, Consultatione, Divo Augustino et lege romana Burgundionum auxerint Cujacius et, quem modo memoravimus, Genevensis editor, nota res est. Praeterea non ignorabamus quidem

---

21) Wenck. l. l. p. 137. Na. r.

*Gregoriani Theodosiani*que *codicis* et receptarum *Pauli* sententiarum, quales hodie circumferuntur, nonnulla aliunde manare loca, sed accuratiorem fontis, cui debentur, notitiam primus praebuit ill. *Haenelius*, codicum per omnem fere Europam studiosissimus investigator, de re literaria non uno nomine meritus. In unum enim corpus conflatorum veteris jurisprudentiae fragmentorum, quae breviario Aniani supplementi loco fuisse censet Haenelius, sex per Italiam Galliamque vir consultissimus deprehendit codices; unum quidem integriorem [22]), caeteros [23]) autem invicem sibi similes. Horum autem uno, illo puta quem 4403tium numerant Lutetiae, jam anno 1558, quum Pauli sententias ederet, usum esse Cujacium, integrae, quas inde mutuari coepit, produnt paragraphi [24]). Paucis autem annis post Pa-

22) Cod. reg. Paris. No. 4406. cf. Haubold Opusc. II. p. 907. No. 7—10. Stieber ibid. p. CLVI—CLXIII.

23) Codd. reg. Paris. No. 4403. (Haubold l. c. p. 901. sq. Stieber CII, CLIX.) et No. 4419. (Stieber p. *XC*.), Aurelianensis No. 207. (Stieber p. *XCIX*), Montis puellarum No. H. 84. (St. ibid.) et Vaticano-Ottobonianus No. 2225. (St. p. *CXXIII*).

24) Licet enim id praecipue in hac editione egerit Cujacius, ut Paulum ex ipso, quem multo pleniorem

risiensem juris veteris συναγωγὴν edenti non solum pleniorem illam, qualem cod. 4406 exhibet, sed (nisi codicem 4403 ex eo tempore, quo tractabatur a Cujacio, mutilatum esse dixeris) et aliud brevioris et initio mancae collectionis ad manus fuisse videmus exemplar. Illinc enim duo vel tria sententiis receptis inseruit loca [25]), hinc autem quaedam, quae hodie in neutro codicum, quos modo notavi, leguntur, Theodosiani Gregorianique operis supplementa [26]) hausisse credendus est. Multo minus igitur sua facere neglexit, quae in utraque appendice Gregoriano [27]) et Theo-

---

exhibet cod. 4403, contextu suppleret, tamen nec appendicem a se neglectam esse, eo indicavit, quod integrum inde repetitum ederet titulum Ad SC. Orphit. Quae vero in utraque editione ex breviori hausit appendice haec sunt: Rec. Sent. I. 13 b. § 8, 9, I. 18. §. 2—5. IV, 8. § 21, 22, IV. 10, § 1—4, V. 5 a. § 11. cf. F. A. Biener in jure civ. Antejust. p. 184 b.—184 e.

25) III. 5. § 10—12. (cf. Haubold opusc. II. p. 927.) V. 5 a. §. 5, Unde tamen titulum De rebus auctoritate judicis possidendis mutuatus sit Cujacius in ed. anni 1586, me ignorare fateor.

26) Greg. Cod. (ex ed. Schulting) I. 1. const. 1, 2, I. 2. const. 1, Theod. Cod. I. 2. const. 11, 12 (ex ed. Wenckii, quem vide in nota *X.*

27) I. 2. const. 3, 4, II. 3. const. un., VI. 19. const. un., *X.* 1. const. 1. et *X.* 2. const. un. (ex ed. Schult.)

dosiano [28]) codicibus supplendis inservire possunt.

Huic legis romanae Wisigothorum appendici quodammodo simile *Theodosiani codicis auctorium* [29]), quod minori ex parte jam a Cujacio editum [30]), primus 18 constitutionibus absolutum, additis quibusdam aliis, emisit Sirmondus [31]), cuique jungi potest extravagans illa *de conventibus Arelate habendis* constitutio, primum a Cusano deinde a Josepho Scaligero exhibita [32]).

Pervenio tandem ad codices, qui Breviarium ex genuinis fontibus praesentant suppletum. Primum inter

28) I. 16. const. 11, I. 21. const. 1, IV. 16. const. 1, IV. 17. const. 1, 3, 4 et fortassis VI. 27. const. 10, quas magnam partem recentiores dixerunt suspectas cf. Wenck p. 81. N. t, p. 87. N. t, p. 254. N. q, p. 255. N. a.

29) Stieber l. c. p. XCII.

30) Sub titulo de episcopali judicio, scilicet e codice Parisiensi No. 4406. Hugo ind. edd. font. p. 147. Haubold opusc. II. 907. No. 5.

31) Paris 1631. 8 et in Theod. Cod. Gothofredo-Ritteriano VI. B. p. 165 sq. (cf. ibid. VI. A. p. 339 sq.)

32) Wenck l. c. p. 371 sq., ubi (p. 381. No. 1.) contra Wenckium et Stieberium, Turoni, vel terreni emendantes, reponatur Tyrrheni. De aliis quibusdam constitutionibus, extra corpus Theodosianum vagantibus, vide Jac. Gothofredum ad Th.

hos obtinent locum Parisiensis 4403, qui post insigniem Cujacii messem[33]) et Haenelio non spernendum praebuit spicilegium[34]), et Ambrosianus ille (c. 29. P. inf.) cujus per tot saecula reconditas divitias primus in lucem protulit cel. Clossius[35]). Singulas constitutiones suppeditarunt Cujacio codices Parisiensis 4414 (vel simillimus 4415)[36]) et Vaticanus reg. Christinae 991[37]), nec ab hoc genere codicum, νομοθεσίαν Aniani ex ipsis fontibus supplentium, differre puto, cui non minimam receptarum sententiarum debemus partem[38]), olim Vesontinum, sed hodie deperditum codicem[39]), cui integrum opus Pauli

---

C. I. 114, III. 12. Haubold opusc. II. 926. No. 5, 928. No. 7, 931. 32, No. α et β. Stieber l. c. p. CXLIX, CL, CLIV. No. 13; quae enim p. CLIII. No. 13 legitur const. ad Gregorianum cod. videtur referenda.

33) F. A. Biener in j. civ. Antejust. l. c.

34) Haubold opusc. II. 918—925.

35) De Schröter l. c. p. 321. sq.

36) Hermog. Cod. tit. 3. in ed. anni 1566. cf. Stieber p. CVIII. IX.

37) Th. Cod. I. 15. const. 17. in ed. anni 1586. cf. Stieber p. CXX, XXI.

38) Cujac. Obss. XXI. 16 rell. Biener l. c.

39) Haenel catalog. libr. mss. fasc. I. col. 68, Stieber l. c. p, CXLII. XLIII. Na. *).

inesse, sunt qui dicant[40]. In eadem classe et Parisiensem cod. suppl. lat. No. 215 numerare nos jubet Haenelius[41].

Diutius paulo commoratus sum in codicibus, quorum beneficio libros juris veteris debemus feliciter suppletos, enumerandis, ut intelligas quam raro doctis contigerit editoribus, ut genuinos fontes, Alaricianumve opus solito plenius deprehenderent, et quam sedulo studio vel minimas antiquae prudentiae lacinias undique conquisiverint. Jam enim perspicies quanti sit habendus liber, de quo hae inscribuntur pagellae, quem, si prius doctis innotuisset, cum Pithoeanis, Ottobonianisque codicibus pari honore numeraremus.

Inter msstos Bodlejanae apud Oxonienses bibliothecae codices, numero 3362dus membranaceus, saeculi 12mi, exhibet *Guilelmi Malmesburiensis* Adbreviationem de gestis imperatorum[42], de quo antequam accuratiora exponam, examinabo, an

40) Zirardini novellae leges p. 22. Haubold Inst. j. rom. lit. §. 102 Na. b.
41) Stieber l. c. p. CXIII. XIV.
42) Catalogus MSS. Angl. et Hib. I. 162. cf. de *Guilelmo Malm.* Ger. Joh. Vossium de hist. lat. II. 51. p. 414. edit. Lugd. Bat. an. 1651.

alia ejusdem operis adhuc innotuerint exempla. Primus quidem Fabricius [43]) praeter Bodlejanum recenset codicem Seldenianum; falso tamen, quum libros Seldenii, e quorum numero nostrum fuisse codicem fidem facit, qua adhuc insignitur, nota: »32 Arch. B. Seld. 16.«, circa medium saec. XVII. Bodlejanae adjectos esse constet. Neque rectius, vitas pontificum Anglicorum a Guilelmo nostro compositas, quae MSae habentur in collegio Baliolensi, et adbreviationem confundens, alterum hujus exemplar in collegii illius bibliotheca asserit haberi [44]). Quid tandem sibi velit Fabricius laudando codicem bibl. Oxoniensis, me non assequi fateor; praeter Bodlejanam enim, quae et publica dicitur, omnium usibus destinatam nullam Oxoniae novi bibliothecam. Tradit quidem catalogus Mss. Angliae et Hiberniae [45]) sub numero 8615 bibliothecae Bodlejanae haberi »abbreviationem Gul. Malm. ex gestis Haymonis de imperatoribus,« sed adcuratius in hunc codicem inquirentis spes,

43) Bibl. med. et inf. lat. s. v. Guilelm. Malmesb.
44) Cf. et Vossium l. c. p. 145.
45) I. p. 372.

alterum operis nostri deprehendendi exemplum, ad irritum cecidit. Ita enim, quem jam defunctum lugeo, cujusque gratissima consuetudine, dum abhinc decem annos Oxoniae commorarer, plurimum delectabar, doctissimus *Alexander Nicoll*, eo tempore bibliothecae Bodlejanae subpraefectus, mihi de hoc codice, alioque msto collegii Mariae Magdalenae libro percontanti officiosus rescripsit:

»Credis idem compendium codicis Theodosiani conservari in codice collegii B. Mariae Magdalenae. Sed res aliter sese habet: inspecto enim diligenter et plus semel istius collegii catalogo, hoc Tibi pro certo affirmaverim, nihil in eo contineri, quod ad Tuam rem faciat. Sunt quidem in bibliotheca Magdalenensi nonnulla Malmesburiensis opera manu descripta, sed ea longe dissimilis argumenti. Mireris forte; sed totius rei nodus sic est solvendus. Exstat in bibliotheca hac Bodlejana codex, cujus particula sic in catalogo supradicto describitur: »Abbreviatio etc.«; sed hoc nihil aliud est, quam excerpta pauca ex ipso isto compendio, quod continet cod.

Seldenianus, a Gerardo Langbainio Oxoniensi (qui obiit an. 1657) descripta.« — —

Unus igitur superest, ad quem solum nos convertimus codex bibl. Bodlejanae.

In primo libri limine occurrunt historica quaedam, a Guilelmo, uti videtur, in compendium redacta, videlicet »Daretis Phrygii de excidio Trojae, Exceptus ex libro Catonis de originibus, ex Justino, Orosio, Pauli (puta Warnefridi, seu Diaconi), monachi Cassinensis, lib. V. de gestis Romanorum, Jordanis (Jornandis) episcopi Ravennatensis[46]), natione Gothi, de gestis Romanorum.« Jornandem in novo folio haec excipit praefatio:

»Incipit adbreviatio Willelmi De gestis sequentium imperatorum. Praecedentium gesta imperatorum Jordanes episcopus et Paulus Diaconus texuerunt. Sequentium acta Haimo monachus Floriacensis ex diversis auctoribus collegit. Ejus ergo semper sensum, aliquando verba ponemus, omissis quaecumque de

46) Cf. quae de hoc episcopatu disputavit Muratorius script. rer. ital. Mediol. 1723. I. 189.

Longobardis, Francis, Gothis immiscuit; earum enim gentium gesta alias propriis libris leguntur.«

Vita Justiniani, quae sequitur, exordium ducit ab illa Pauli Diaconi enarratione legum a Justiniano latarum[47]), ad quam, quum saepius et sub nomine Landulphi Sagacis provocaverint docti[48]), videamus quo jure huic tribuatur. Paulum Warnefridum decem Eutropii libris[49]) septem alios addidisse, statuit Muratorius[50]). Hoc XVII libris comprehensum historiae romanae breviarium alii codices auctario quodam usque ad annum 728 exhibent suppletum, alii

47) De gestis Langobard. I. 25. cf. de Savigny Gesch. d. röm. Rechts i. Mitt. A. II. 224. Na. 68. etc. — Variantes lectiones notavi hasce: et inutilis dissonantia — ex inutili disson.; constitutiones principales — const. principum; Codicem Justinianeum — Cod. Justiniani; usque ad duo — usque duo; statuerat in unum volumen — composuit in corpus unum; eundem codicem Novellam nuncupari sancivit. — Novellar. cod. vocavit.

48) Hoffmann hist. juris I. p. 608. Hombergk de collect. Novellarum a Just. facta §. 7. in: Zepernick delectus scriptor. novellas illustr. p. 301. Biener Gesch. d. Nov. p. 47.

49) Qui undecim priores historiae miscellae libros complectuntur.

50) Praefatio in historiam misc.

vero in historiam miscellam, quae vulgo sub eodem Pauli Diaconi nomine venire solet, transfusum, et, secundum quosdam, a Landulpho Sagace ad annum Christi 814 continuatum. Quisnam fuerit, et quo tempore vixerit Landulphus iste, qui integrum fere suum fecit Anastasium graecum, plane ignoratur; distinguendus tamen a Landulpho de Columna [51]), cum quo male commiscetur [52]). In historia miscella a Landulpho continuata, quam saepius habemus editam, narrationis illius de *νομοθεσίᾳ* Justiniani nec vola nec vestigium apparet; legitur autem in auctario Eutropii et Pauli, quod Muratorius, licet non semel typis exscriptum [53]), sibique saltem ex editione Eliae Veneti (Amst. 1625) probe cognitum [54]), incredibili levitate, quasi ineditum exhibuit e codice Ambrosiano [55]). Ne tamen hoc auctarium proprium, et a Paulo Diacono distinctum opus exi-

---

51) Vossius de historicis lat. II. 35. p. 315.
52) Wachler Lehrbuch d. Lit. Gesch. p. 269.
53) E. gr. apud. Aldum 1516. 8. post Suetonii Caesares fol. 305 sq.
54) Praefatio citata.
55) L. c. p. 179—185. cf. p. 108. Na. 27.

stimes; est enim cento ex gestis Langobardorum per lacinias dissectis imperite consutus. Quod ut melius perspicias, en tibi integram appendicem ex gestis Langobardorum restitutam:

Gest. Long. I. 25, 26 (usque ad verba virtutibus effulsit) II. 1—3, 4, in f.—5, 11, III. 11, 12, 15, 17, 18, 20, 22—26 finem versus, IV. 27, 34, 37, 51, 52 exceptis ultimis verbis, V. 6—14, 30, VI. 4, 11—14, 23, 31, 32, 34, 36[56]), 41, 47, 49, exceptis octo primis lineis. Hanc quidem auctarii originem quodammodo suspicatus est Muratorius, sed tantum abfuit, ut verum cognosceret, ut anceps haereret »utrum Paulus haec a se scripta in Historiam quoque Langobardicam intulerit, an alius quisquam ex illinc decerptis librum XVIII. Miscellae confecerit.« Imo addit: »Attamen, quum in antiquissimo cod. MS. bibl. Ambrosianae in fine libri XVII legantur verba, quae antea retuli[57]), indicantia nempe librum subse-

---

56) Adduntur in auctario verba: »Mansit autem — reversae sunt.«

57) »Quia vero restant adhuc, quae de Justiniani Aug. felicitate dicantur, in sequenti, Deo praesule, libello promenda sunt.« Eadem et apud Aldum leguntur.

quuturum, quamquam is in eodem codice desideretur, conjici potest a Paulo compositus, isque esse, qui a Vineto est editus[58]) quem postea aut ipse Paulus, aut quisquam alius per frusta divisum in Langobardorum Historia rursus exhibuerit.« — Sed nullus dubitationi locus. Et properante oculo hoc perlegentem auctarium non fugiet, qui minime sese respiciunt locos, in hist. Lang. scilicet per longa intervalla separatos, hic inepte esse compositos. Exempla afferam: Capite quarto libri secundi hist. Lang. post Justinianum defunctum Justinum II. regno potitum esse tradit Paulus. Sequentia capita de ultima Narsetis expeditione, esjusque morte. Inde per plus quam triginta capita in res Langobardicas et in quaevis alia abit Warnefridus; merito igitur, cap. 11. lib. III. ad Justinum historiamque Byzantinam reversurus, his verbis lectorem ad anteriora remittit:

»Per haec tempora apud Constantinopolim, ut *supra* praemissum est, Justinus minor regnabat.«

58) Scilicet non viderat Muratorius, auctarium a se editum idem illud esse, quod jam antea exhibuerat El. Vinetus.

Eadem autem verba apud incallidum auctarii consarcinatorem ipsam de Justino et Narsete narrationem ridicule excipiunt. Addo alterum: capite 46 libri VI de Sarracenis Hispaniam invadentibus tractans Warnefridus, pergit in cap. 47:

»Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens, cum immenso exercitu veniens, Constantinopolim circumdedit.«

Quae vox eadem sine cap. 46 in auctarium illud translata, quum non habeat quo se referat, merito legentem offendit. Certo igitur certius, a Muratorio pro inedita divenditam appendicem, ex historia Langobardorum verbotenus esse exscriptam, nulloque jure Landulpho Sagaci vindicari.

Qua autem ratione, appendicis illius auctor res Romanorum ex Paulo excerpsit, eadem et Guilelmum singulos Haimonis, Paulum fortassis praecipue sequuti, locos in suos usus convertisse, argumento sunt, quae supra exhibuimus verba:

»omissis quaecumque de Longobardis, Francis, Gothis immiscuit.«

Haimonem vero monachum Benedictinum, circa annum 1020 in coenobio Eboracensi degisse, et historiam a Justiniano in-

choantem, et in Carolo M. desinentem composuisse tradit Vossius [59]. Non solum igitur quae de rebus Byzantinorum usque ad tempora Irenes et Constantini VI. (Porphyrogeniti) in codice narrantur, sed et, quae sub anno 794 inseruntur, gesta Caroli M., neque minus, quae additur, historia Nicephori I. et Michaelis Curopalatis Haimoni videntur tribuenda. Patet igitur Haimonem in eodem quo Landulphus sagax, ultimo Caroli M. anno constitisse.

Posthaec ita, non Haimo, sed *Guilelmus*, ni omnia me fallunt, pergit:

»Nuncque ex gestis Constantinopolitanorum imperatorum post Nicephorum nihil accepimus; saltem nomina nuda ponemus: Successit Michaeli Leontius Armenius apostata [60] etc.

Sequuntur nomina imperatorum, qui in Oriente regnaverunt, in Johanne porphyrogenito, i. e. Calo Johanni (1118—1143) desinentia. Novo deinde ordine enumerantur nomina imperatorum Germanico-Romanorum usque ad Henricum V. post cujus

59) De hist. lat. II. 42. p. 361.

60) Leo V., apostata, quia primus post Irenem, quae cultum imaginum reduxerat, iconoclastes.

obitum (1125) Guilelmus narrat et nuptias a Mathildi, vidua imperatoris, cum Gothofredo Plantageneta contractas (1127) his verbis:

» Hic (Henricus IV.) dejectus est a filio suo Henrico, qui viginti annis post patrem regnans, habuit filiam Henrici (I.) regis Anglorum, quae post mortem mariti nupsit filio comitis Andegavensis. «

Ultimum tenet locum usque ad Ludovicum, filium Philippi (i. e. Ludov. VI. 1108—1137), deducta series regum Francogalliae.

Apparet igitur *Guilelmum*, quem anno 1142 vita excessisse tradit Seldenius[61]), inter annum 1127 et 1137 his studiis incubuisse.

Quae quidem hactenus ad historiam imperii Romani proxime spectantia enumeravimus, quatuor foliis, quintique folii prima absolvuntur columna; sequitur, quod nobis disputandi praebuit materiam, Aniani Breviarium ex ipsis fontibus suppletum. Huic autem praefixa legitur epistola, quam a Sel-

---

61) Ad Fletam VII. 2. in Opp. ex ed. Wilkins Lond. 1726. 3 Voll. fol. II. col. 1081. Cf. Vossium l. c. p. 414.

denio [62]) jam dudum editam, rursus exhibentes, primae editionis variantes notabimus lectiones:

»Nuncque [63]) quidquid de principibus Italiae et Romae potuimus invenire, curavimus non omittere. Congruum videtur leges Romanorum adponere: Non eas, quas Justinianus fecit, esset enim hoc ingentis operis et laboris [64]); sed eas, quas Theodosius minor, filius Arcadii, a temporibus Constantini [65]) usque ad suum [66]), sub titulo uniuscujusque imperatoris collegit. Ponantur ergo XVI. libri ab eo collecti, quarum sententiae plures explanantur, quaedam explanatione non egent. Divi Theodosii

62) Ad Fletam l. c.

63) Seld. Nunc.

64) Licet cum b. Wenckio (Mag. Vacarius primus jur. rom. in Angl. professor. Lips. 1820. p. 54) hinc colligam, et juris Justinianei volumina Malmesburiensi nostro innotuisse, de ipsis tamen codicibus, vel a Theobaldo Cantuariensi, vel a Vacario in Britanniam illatis, cogitare, nec temporis ratio nos patitur (Wenck l. c. p. 21), nec parum accurata, cui levissima quaeque sufficiebat scientia, haecce juris Justinianei notitia nos cogit.

65) Seld. Custantini.

66) Verba ad suum desunt apud Seld.

ejusdem novellarum liber I, Divi Valentiniani, filii Placidiae, liber I, Divi Martiani, orientalis imperatoris[67]), liber I, Divi Anthemii[68]) et Leonis liber I, Divi Majorani[69]) liber I, Divi Severi liber I. In quibus[70]) illud animadvertendum, quod quisque imperator suis legibus, quas promulgabat, nomen consortis apponebat: utpote Theodosius, imperator Constantinopolis, apposuit legibus suis nomen Valentiniani, quem imperatorem creaverat Romae. Sic et in ceteris. Sed quia[71]) quaedam sunt in legibus imperatorum obscura, ad plenum intellectum apposuimus libros Institutionum Gaji et Pauli Jurisconsultorum[72]).

Quod jam sequitur Anianeum opus non quidem a Malmesburiensi contractum[73]),

---

67) Imperatoris deest apud Seld.

68) Seld. Anthonii.

69) Seld. Majoriani.

70) Proxime sequentia non habentur ap. Seld.

71) Hinc rursus Seld., quoniam loco adverbii quia exhibens.

72) Gregoriani, Hermogenianique codicum, et fragmenti Papinianei neque hic nec in ipso libro ullum vestigium.

73) Cf. ill. Haenelium in ephemeridibus literariis Lipsiensibus 1828. No. 42. p. 332. No. 12.

imo passim ex genuinis fontibus suppletum, per eundem, Guilelmo uti videtur *σύγχρονον*, amanuensem scriptum esse arbitror. Utrum autem noster in uno, in quod forte inciderat, exemplo simpliciter transscribendo accquieverit, an aliunde converrendo complures illas, quibus breviarium superat constitutiones, exemplar quo usus est plenius reddiderit, me nulla probabili conjectura assequi fateor. Hoc unum monere sufficiat, Breviarium Aniani numquam in Anglia vim legis nactum[74]), nec a Malmesburiensi litium dirimendarum causa, sed illam solummodo ob rationem receptum esse, ut historia et res gestae imperatorum Romanorum, quas modo narraverat, inde illustrarentur.

Breviario, quod jam sequitur, recte quidem, sed, si Ambrosianum exceperis[75]), contra codicum consuetudinem, praemittitur Theodosii constitutio de Theodosiani codicis auctoritate[76]), interpretatione tamen Gothica, quam caeteroquin fere ubique apponit

---

74) Wenck l. l. p. 54, 55.
75) W. Fr. Clossius Theod. cod. gen. fragm. ex membr. bibl. Ambr. p. XII. Wenck Cod. Th. lib. V. pr. p. VIII. p. 9. Na. a.
76) Eodem ordine edidit et Sichardus.

codex, destitutam. Proximum locum tenet index[77]) titulorum seu capitulorum, sicut nostro audiunt[78]), non quidem totius operis, sed, quum primus Theodosiani codicis liber prorsus desit, secundi libri; cui similis in fronte cujusque sequentium librorum legitur. Indici, cui subjungitur, prorsus convenit ipse libri secundi contextus, in iisdem, quibus ille, a vulgata dispositione recedens. Septimam enim constitutionem peculiarem facit titulum De honore mulierum, reliquisque ejusdem tituli constitutionibus rubricam praemittit: De criminosis et negligentibus judicibus. Proxime sequentes titulos propter duorum codicis, quem

77) Ita in codice inscriptus: »Explicit epistola; incipiunt capitula libri primi legum a Theodosio minore collectarum.«

78) Secundum morem veterum, Italorum praecipue, quem sequuntur cod. Gothanus Breviarii (Ritter praef. ad Th. Cod. Jac. Gothofredi T. II.) et Vaticanus 1427 Justinianei codicis (Savigny Gesch. d. R. R. i. M. A. IV. 38, 39, V. 573). Alii quidem codices operis Alariciani, licet indices titulorum itidem per singulos libros distribuant, titulos tamen non capitula sed aeras vocant; ita e. gr. Lugdunensis No. 303, quem ipse contuli (Wenck ad Haubold opusc. II. 899. Na. b.). Cf. codicem legis Wisigothor. II. 3. const. 4. (Georgisch col. 1891) et VI. 2. const. 5. (Georg. col. 2027.)

exscripsit noster, foliorum transpositionem mire videmus confusos. Necesse enim est ut statuamus, secundum in illo exemplari libri secundi folium, unicam tituli Ne in sua causa quis judicet constitutionem (praeter inscriptionem, quae jam primo habebatur folio) et quae sequuntur usque ad inscriptionem legis tertiae tituli sexti complexum, errore bibliopegi post tertium ejusdem libri folium, quod a tertia tituli sexti constitutione ad inscriptionem primae tituli decimi porrigebatur, positum fuisse. Ita igitur effectum est, ut L. un. Ne in sua causa, cujus inscriptio transiliit ad tertiam constitutionem tituli De temporum cursu, per commutationem acceperit inscriptionem Legis 1. De postulando. Quae enim Legi primae De postulando jam praefigitur inscriptio constitutionis tertiae De temporum cursu, ab ea non differt, quae secundum justam horum titulorum dispositionem, ad illam pertinet legem. Eadem vero ratione in his omnibus et ipsum transpositum esse contextum, me etiam non monente, facile intelliges; illud autem notandum, librarium hujus codicis titulorum rubricas contra erroneum singu-

larum legum ordinem, secundum orationis sententiam justo loco reposuisse, et temporis rationem, quam subscriptiones produnt, sequutum, in inscriptione, quae male tribuitur Legi un. Ne in sua causa, nomen Constantini cum Valente commutasse, et e contrario in inscr. Legis 3. De temporum cursu Valentem cum Constantino. Tantam autem diligentiam non rudem quendam amanuensem, sed doctum hominem atque curiosum, quem ipsum Guilelmum Malmesburiensem, non multum absum ut suspicer, redolere facile videbis. In caeteris dispositio libri secundi, praeter rubricam Quod jussu, licet ipsa adsit constitutio, omissam, convenit cum impressis. Quem vero reliquorum MStorum juris Alariciani codicum complures tenent morem, in locum textus Theodosiani substituendi interpretationes Wisigothicas, minime sequutus noster, barbaras illas παραφράσεις, quas explanationes vocat, magnam partem, vel tacite, vel observando: »explanatione non indiget« prorsus omittit. Tredecim sequentium librorum, qui, propter primi defectum, justo minori numero signantur, titulos cursim perlustrans,

non aliter eos quam in Sichardiana editione dispositos deprehendi. Sedecimus autem, qui XV. vocatur, longe aliter quam in breviario constitutus. Interpretationes enim, vel explanationes non tantum plane omissae sunt, sed et genuini, Theod. Cod. quamplurimae, imo sex etiam constitutiones auctarii illius ad cod. Th. de quo egimus p. 8, cum illis, quae codd. legis rom. Wisig. sunt solennes, novo quodam ordine digestae, librum sedecimum compendii Anianei, neglectis quibusdam, quae vulgo in breviario leguntur (e. gr. XVI. 9. const. 1 et 4), plus duplo augent. Quod ut melius intelligas, indicem omnium hujus libri apud Malmesburiensem nostrum constitutionum, quem duobus abhinc annis Haenelii et meis ex schedis jam dedit consultiss. Stieber [79]), iterum repraesento, illas asterisco notans, quae et in breviario leguntur:

XVI. tit. 1. const. 2, 3, tit. 4. const. 2, tit. 2. const. *2, *12, *23, const. 2 et 3, appendicis Sirmondianae (in ed. Go-

---

79) Praef. ad II.dum volumen opusc. B. Hauboldi p. CXXXVI, CXXXVII Na. **), cf. p. XCIII. in Na, No. 5.

thofredo-Ritteriana VI. B. p. V, VI. et VI. A. p. 345, 48), tit. 2. const. *39, *44, 1, 3, 4, 8, 10, 14, 16, 19, 20, 26, 29, 30, 31, 36, 38, 40, 41, app. Sirm. const. 1, 6. (ed. Goth.-Ritt. p. V. et VII. coll. VI. A. p. 339[80])), tit. 5. const. 1, 4, 51, 63, 52, tit. 6. const. 4, tit. 5. const. 53, 60, 59, tit. 7. const. *3, 1, tit. 8, const. 1, *5, *7, 6, 16, 27, 28, tit. 9. const. 2, tit. 10. const. 10, 21, const. 5, 7. app. Sirm. (Goth.-Ritt. p. VII.), tit. 11. const. *1, 2, *3.

Quae omnia, utrum e genuini Th. codicis exemplo, an aliunde hauserit Guilelmus, vel qui in hoc libro conscribendo eum antecessit, ignoramus quidem; perturbatus autem constitutionum ordo non inverisimili ratione illis esset argumento, qui dixerint, quandam juris canonici collectionem, nobis quidem ignotam, fontem esse, unde manaverint, quae in nostro pleniora leguntur quam in lege Romana Wisigothorum.

Marginibus Theod. codicis passim, sed raro, adpinguntur scholia, spurio plerumque

80) Cf. et Baronium ad ann. 425. N. VII. Lucae 1741. T. VII. p. 246.

Isidori nomine signata, quorum aliquot exempli loco adponam:

Ad II. 21. const. 1.: »Eo tempore dabat uxor marito dotem, non, sicut nunc, maritus uxori[81])«

Ad Interpr. const. un. IV. 14: »Claret, quod Theodosius leges tantum collegit, non etiam explanavit, quia hic commemoratur novella lex Valentiniani, quam eodem Theodosio defuncto promulgavit[82]).«

Notabilior autem, quae in nostro codice continetur, novellarum παρασκευὴ, ut supra p. 4. jam monui, reliquis omnibus, quae mihi quidem innotuerunt, et numero et integritate praestans. Ottobonianus enim, cui primum vulgo adsignant honorem LXXVI absolvitur constitutionibus, noster autem ad numerum LXXXIII extenditur[83]),

81) Ita enim moris erat apud populos originis Germanicae, praecipue apud Anglos: Eichhorn, deutsche Staats- und Rechtsgeschichte §. 54. Na. b. I. p. 157. Phillipps Grundſ. des gem. deutschen Priv.-R. I. p. 351. sq.

82) Nov. 78. ed. Berol. §. 13. biennio post mortem Theodosii composita.

83) Stieber l. c. p. XCI in Na. No. 2. p. CXXXVII Na. *).

quae quo ordine sint dispositae haec ostendet tabula[84])

Novellae Theodosii II: *1, *8, *10, *17, *19, *20, *21, *23, *28, *30, *31, 3—6, 11—14, 9, 15, 16, 18, 26, 49, 50, 27, 29, 32, 33, 7, 34, 2, 24.

Novellae Valentiniani III.: 69, 51, 56, 59, 40, 58, 67, 52, 61, 53, 73, 71, 72, 39, 77, 41—48, 54, 65, *57, *60, *62, *63, *66, *68, *38, *70, *74, *75, *78, *76, 79.

Novellae Marciani: *81, *82, *83, *84, *85.

Novellae Majoriani: *92, *94, 93.

Novella Severi: 95.

Novellae Leonis et Anthemii: 97, 99[85]).

Desunt igitur nonnisi novellae 22, 25, 35—37, 55, 64, 80, 86—91, 96, 98. Illarum autem novellarum, quae in codice leguntur, duas[86]) initio pleniores exhibet quam in editis.

---

84) Numeri novellarum ad editionem Berol. referendi; quae vero asterisco notantur, leguntur et in Sichardiana breviarii editione.

85) Novella 64, quam habet Sichardus, desideratur apud Guilelmum.

86) Nov. 95 et 97. Cf. Stieber. l. c. p CLII, CLIII.

Qui ultimum apud Malmesburiensem tenent locum, Gajus et Paulus, non tantum consueto legis rom. Wisigoth. contextu non sunt pleniores, sed in multis etiam, ad morem codicum, quos tertio ordini adsignat ill. Haenelius[87]), genuino breviario contractiores. Ita enim primae Gaji paragraphi sunt conceptae:

»Omnes homines aut liberos aut servos esse constat. Sed ex his ipsis, qui liberi sunt, alios esse ingenuos, alios libertinos. Ingenuos, qui de ingenuis nati sunt: libertinos, qui pro justa servitute manumissi liberi fiunt. Ingenuorum omnium unus status est. Libertorum vero ideo non unus est, quia tria sunt genera libertatum: quia liberti aut cives Romani sunt, aut Latini sunt, aut dedititii.

§ 1. Cives Romani, qui his tribus modis, id est, testamento, aut in Ecclesia, aut ante consulem fuerint manumissi.

§ 2. (ut in editis)

§ 3. Dedititii, qui post admissa crimina suppliciis subditi, et in quorum

87) Stieber l. c. p. XCVIII.

facie, aut corpore quaecumque indicia aut igne aut ferro impressa sunt indelebiliter.«

Ut autem Paulum, quem sine interpretationibus exhibet noster, cum Lovaniensi epitome in compluribus concordare cognoscas, ecce primos utriusque titulos e regione se respicientes:

Malm.	*ed. Lovan.*
I. 1. Omne pactum posteriori pacto dissolvitur. Neque contra leges, neque contra bonos mores pacisci possumus.	I. 1. Omne pactum posteriori pacto dissolvitur. Neque contra leges, neque contra bonos mores, quod lex aut honestas prohibet, pacisci possumus.
I. 2. Infames sunt, qui propter aliquam culpam notantur infamia. Et ideo tales personae ad agendas causas admitti non possunt, et si adversarii adquiescant. Femina in rem suam co–	I. 2. Infames sunt, qui propter aliquam culpam notantur infamia. Et ideo tales personae ad agendas causas nec mandatum dare, nec suscipere ab altero possunt, eti–

Malm.	*ed. Lovan.*
gnitionis operam suscipere non prohibetur. In rem suam cognitor procuratorve fieri potest, qui pro omnibus postulat. Actio de excusatione (γϱ. executione) judicatarum rerum non solum ipsi auctori, qui agit, competit, sed et heredi. Nam et heres victi ab herede victoris ad solutionem judicati retinetur.	am si hoc eorum adversarii adquiescant.

Variarum lectionum nonnullas jam Seldenio suppeditavit codex noster, quae quum magnam quidem partem, non omnibus tamen locis a recentioribus repetantur, notabo, quae in Seldenii operibus nostro ex codice allata deprehendi:

Const. De Theod. cod. auct. — Selden. ad Fletam. V. 2, 3. in Opp. II. col. 1060, 61. Hinc Beckius in Jure civ. Antejust. p. 280, 81, et Wenck Cod. Th. lib. V. pr. p. 10, 11.

Th. C. II. 1. const. 10. — Selden. De synedr. vett. Hebr. libr. *I.* In Opp. I. col. 865, et De succession. ad Leges Hebraeor. Praef. In opp. *II.* p. *III.*[88]).

Th. C. *II.* 8. const. 1. Selden. De jure nat. et gentt. juxta discipl. Hebr. Opp. *I.* 389. Hinc Gothofredus Na. d. e.

Interpr. ibid. Selden. De synedr. vett. Hebr. *II.* Opp. 1471.

Th. C. *II.* 9. const. 3. (ex ed. Wenckii, const. un. Sichardi et Beckii, const. 8. Cujacii et Gothofredi) et Interpr. ibid. — Selden. Ad marmora Arundel. P. *II.* lin. 61. In Opp. *II.* 1554[89]).

---

88) Secundum ea, quae in opere de successionibus leguntur, ultima constitutionis verba ita in codice videntur concepta: »Tamquam cognitoris arbitrio (sic et in Ambrosiano) fuerint attributae.« In altero autem loco libri de Synedriis post vocem tamquam adduntur verba, quae exstant et in impressis, ex sententia. Notabilis et alia lectionis varietas, judices vel patriarchas pro Judaeos vel patriarchas exhibens. Haec omnia neglexerunt editores; reliquas autem a Seldenio notatas, codicis lectiones, licet aliunde haustas, exhibet Gothofredus Nota d, f, i.

89) In textu: numina nostra placitis inserentes pro nomina n. pl. ins. In interpretatione: qui Dominorum nomina cum jurant pro q. Dom. nom. conjurant. Nihil horum apud editores.

Th. C. *III.* 16. const. 1. Selden. Uxor hebraica *III.* cap. 28. In Opp. *II.* 829. Hinc Gothofredus Nota d, e, g.

Th. C. XVI. 2. const. 23. — Selden. De synedr. vett. Hebr. *I.* In Opp. *I.* 965[90].

Const. *I.* App. Cod. Theod. — Selden. Uxor hebr. *III.* cap. 28. Opp. *II.* 1830 et De synedr. *I.* Opp. *I.* 965.

Nov. 18 (Theodosii). — Selden. ibid. col. 831[91].

Nov. 78. prooem. (Valentiniani). — Selden. De synedr. vett. Hebr. *I.* Opp. *I.* col. 965[92].

---

90) Varietatum lectionis a Seldenio hic notatarum unam refert Gothofredus Nota *q.* alteram confirmat Ritterus testimonio codicum Monacensis et Gothani, quibus accedit auctoritas palimpsestorum Taurinensium (Wenck C. Th. lib. V. pr. p. 363, 64).

91) Loca in quibus secundum Seldenium, codicis scriptura discrepat ab editione Berolinensi haec sunt: Solutionem enim matrimoniis pro Sol. en. matrimonii; § 1. Sed in repudio mittendo pro Sed in repudio; poenis gravissimis coërcere pro poenis grav. coërceri; repudia, culparumque coërtiones pro rep. culpas, culp. coërt; § 2. edictis propositis publicari praecipiat pro ed. prop. publicari praec.; Theod. A. XVII. (γρ. XVI.) et Fausto V. C. Coss. pro Th. A. XVII. et Festo V. C. Coss.

92) Lectionem, quam hic ex Malmesburiensi affert Sel-

Nov. 93 (Majoriani). — Hanc integram e codice exhibuit Selden. Uxor hebraica III. cap. 12, Opp. II. 739, gravioresque lectionis varietates notavit Beck in j. civ. Antejust. p. 1388 sq.

Gaj. epit. l. 4 pr. — Selden. Uxor hebr. II. 20. Opp. II. 648. Hinc Oiselius h. l. ap. Schulting. p. 34. Na. 5. et Haubold. in j. civ. antejust. p. 194. Na. a.

In his autem Seldenii locis, et quae supra laudavimus, in rem suam convertendis, recentiorum ICtorum, qui de Malmesburiensi nostro tractarunt, major pars adquievit[93]. Unus uti videtur Jac. Gothofredus, ex operibus Seldenii probe intelligens, quanti codex noster habendus sit pretii, ut accuratius conferretur desideravit. Quatuor enim primos secundi libri Th. C. titulos 34 ex nostro codice desumptis lectionis varietatibus apud Gothofredum le-

---

denius, codicem Goth. sequutus, in textum recepit Ritterus, quem cf. Nota e.

93) E. gr. Zirardinus Imp. Theod. et Valentin. nov. LL. p. 6 in Nota. Amadutius LL. nov. V. anecd. p. *XIII.* Haubold Inst. j. rom. lit. p. 266. Na. b. Savigny Gesch. des r. R. im M. A. II. 60, IV. 370, cf. V. 570.

gimus instructos. Has autem varietates sero, et absoluto jam opere Gothofredo obvenisse, praeter inversum ordinem, quo post librorum typis impressorum lectiones referuntur[94]), argumento est silentium, quo tam in commentario, quam in Chronologia Cod. Theod. ubique praetereuntur[95]). Hinc non absonum videtur suspicari, Seldenii opera (Uxor hebraica Lond. 1646, Ad Fletam ibid. 1647) Gothofredo ansam praebuisse collationis totius Theod. Cod. ab illo petendae; transmissa autem speciminis loco primorum quatuor titulorum lectionis varietate, et praeparata, per Langbainium forsitan, de quo supra p. 13 diximus, collatione reliqui operis, Gothofredum (an. 1652) morte praeventum esse[95]). Langbainium tamen, vel quis alius quatuor illos titulos contulerit, sibi demandata provincia parum diligenter functum esse, quae modo ad Legem decimam De jurisdictione notavi, abunde demonstrant. Sed ut plenius hominis negligentiam cognoscas, ecce priorum constitutionum ab illo praetermissas variantes le-

94) E. gr. II. 1. const. 2 Na. m. II. 4. const. 5. Na. i.
95) Cf. e. gr. p. *CXXXV.* cum Na. e ad II. 1, const. 7.
96) Cf. Stieber l. c. p. *CXLIV.* in Nota.

ctiones, in quarum censum illas non refero, quas, aliorum librorum auctoritate innixus, jam in textum recepit Gothofredus:

Theod. Cod. II. 1. const. 1. Constantius pro Constantinus [97]); Eustasio [98]) Praeposito [99]) pro ad Eustathium Pf. P.; carcer retineat [100]) pro carceres teneant.

Const. 2. etiamsi militantes pro etsi milit.; vel commoverint [101]) pro vel moverint; Si militaris [102]) aliquid pro Si militans al.

Interpr. attamen [103]) quoties pro ta-

---

97) Ita jam correxerat Gothofredus in editione Marvilliana; typotheta vero Ritteri in Nota b. vitiose exhibuit Constantinus et Constans. Cf. Wenck h. l. Na. a.

98) Tilius in marg. ad Ostasium, Ambr. Cod. ad Eustasium.

99) Eodem modo et infra in inscr. LL. 2. 3. commutat noster accusativum cum dativo; Praefectum vero Praetorio praeter locos modo laudatos et in inscr. Legis 6 et alibi, multorum codicum more, facit Praepositum.

100) Ambr. Cod. carcer teneat, Cod. Goth. carcere teneat.

101) Ita et in Ambr. cod.

102) Sic, monente et probante Rittero, codex Monacensis et Cujacii editio.

103) Cod. Ambr., qui et in sequenti lectionis varietate cum nostro et Monacensi concordat, habet et tamen.

men quoties; criminalis actio pro criminalis accusatio; in judicium vocaverit [104]) pro in judicio provocaverit; habeat liberam potestatem pro hab. pot.; vel arma tenet pro vel cui arma tenuerit [105]).

Const. 3. cujuslibet conditionis homines pro cujusl. hom. cond.; competentis vigoris pro competentes vig.; improbe aliquid pro aliquid improbe; polluerit forte pro forte polluerit; Constantio A. octavo [106]) pro Constantino A. IX.

Interpr. const. 5. apud provinciae pro res apud prov.; suaserit ordo, servetur et judicetur. pro ordo suaserit, judicetur.

---

104) Sic in editione Sichardi; Ambr. et Goth. codd. in judicio vocaverit.

105) Codd. Ambr. et Goth. vel arma tenuerit.

106) Ita et in Cod. Monacensi. Constantium pro Constantino reponendum esse jamdudum monuerat Gothofredus; nisi tamen secundum Juliani Consulatum in primum mutaveris, nonus Constantii retinendus.

Const. 6. Valentinianus, Gratianus [107]) pro Gratianus, Valent.,
Interp. habuerit initio [108]) pro hab. in init.; vel propter superbiam pro se vel per superbiam; adversarii sui se probaverit [109]) pro adv. sui prob.

Codicem nostrum, post Langbainium diu, uti videtur, neglectum, anno demum MDCCCXXI, festinus quidem, et per Oxoniam nonnisi transiens, pervolutavi, nonnullasque ejus particulas contuli cum libris impressis. Quae vero inde excerpsi, quum minutim referre non hujus sit loci, id unum moneo, Theodosiani Codicis Novellarumque lectionem optimae notae, primique ordinis msstis codicibus esse parem. Eo magis igitur dignus qui diligentius excutiatur, quod compluribus locis unum nostrum habemus codicem, quem cum illo conferamus, ex quo editiones, quibus utimur, profectae sunt [110]). Gajus vero et Paulus,

107) Sic in cod. Mon.
108) Ita cod. Ambr. et ed. Sichard.
109) Sic edidit Sich.
110) De novellis, Theodosianique codicis libro XVI diximus jam supra; addantur constitutiones 1, 2 tituli De Dilationibus.

quales in nostro exhibentur, nulla ratione inter vulgatos breviarii codices praestantes, sine literarum nostrarum jactura negligendi.

Fructum autem accuratioris juris Theodosiani novellarumque constitutionum collationis ab ill. *Haenelio*, ad quem saepius jam provocavimus, et quem codicem nostrum anno MDCCCXXVII diutius tractasse gaudemus, magno cum desiderio exspectamus.

Scr. d. XIII. M. Maji MDCCCXXXI.

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 10. pro 33. lege 32.
- 4. - 12. - bliblio — biblio.
- 5. - 16. - 1548 --- 1558.
- 9. Nota 32. lin. 4. pro 13 --- 12.
- 17. lin. 16. pro esjusque ---- ejusque.
- 23. - 5. - accquieverit ---- acquieverit.